



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE PRO NOSTRO MUNERE IN REPUBBLICA TZADIANA
APOSTOLICA CONDITUR NUNTIATURA Ad perpetuam rei memoriam. – Pro Nostro munere certum probatumque huius
Sanctae Sedis morem plane sequentes, Nuntiaturis Apostolicis opportune in mundo hic illic instituendis operam damus,
quibus commune quidem Ecclesiae et Civitatis ubique bonum iure publico procuretur foveatur confirmetur. Cuiusmodi rei
causa, consulta Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, vi et potestate Nostra Apostolica
harumque Litterarum virtute hodie in Ciadia Nuntiaturam Apostolicam condimus, cui simul cum officiis iura et privilegia et
indulta tribuimus, quae et ceterarum Sanctae Sedis id genus Legationum sunt propria. Quod reliquum est, decernimus ut,
quae hoc Brevi Maiore constituta ediximus, ea nunc et in posterum tempus suos habeant effectus. Contrariis quibuslibet
rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Novembris, anno Domini
MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright
1988 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana